



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum, Seu Decisiones Casuum

Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos, & ad consuetum
Referendi modum accommodatæ. Opus Novum

Complectens alteram Decretalium medietatem, videlicet nonaginta duos
Titulos, à Titulo XX. libri III. de Feudis usque ad finem

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1734

Decisio CXXI. De onere construendi & reparandi ædes Capellani.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62204)

sed de consilio. Trid. sess. 24. c. 1. de Res. Matrim. Navarr. Man. c. 22. n. 83. & tamen privatim ad Parochum pertinet tanquam functio Parochialis. Illa declaratio, ut notat Pignatelli n. 17. præcisè emanavit ad casum particularem, in quo Regulares vi consuetudinis in urbe Bononiensi puerperas in suas Ecclesias introduxerunt & benedixerunt, in quo usu ad concordiam inter Pa-

rochos & Regulares stabiendam. S. Congregatio reliquit Regulares, ac proinde nihil obfuit Parochis, ubi consuetudo sibi contraria non viget, vel nondum est introducta, uti in hoc casu.

✱ (o) ✱



TITULUS XLVIII.

De Ecclesijs ædificandis, & Reparandis.

DECISIO CXXI.

De onere construendi & reparandi ædes Capellani.

Species Facti.

Cives cujusdam urbeculæ quondam fundaverunt consentiente & confirmante Episcopo E. Capellaniam perpetuam in Ecclesia Parochiali, vicino cœnobio B. plenè incorporata, quam tamen Abbas non per suos Regulares, sed per Sacerdotem sæcularem, suum Vicarium, à se præsentari solitum administrabat, & hodieum administrat, cui Vicario ijdem cives non multis abhinc annis congruam satis antea tenentem auxerunt capitali 1000. florenorum ex aliquo pio & communi ærario. Capellanum verò nominandi & præsentandi jus induit Episcopus Abbati. Successu temporis præfati Capellani domus cœpit minitari ruinam, ac propterea reparatione opus habuit, quam tamen, uti fit, nemo in se suscipere voluit. Idcirco cives coram Episcopo convenerunt Abbatem cum Conventu pro iniungenda ipsi tanquam Patrono reparatione: sed Abbas hoconus in cives reiecit tanquam in fundatores, eò quod ipsi totum ferè emolumentum spirituale ex hoc beneficio ac præcipue perciperent, cùm Capellanus

tanquam Primissarius commoditatem ipsis faceret plures & certis horis audiendi Missas, e contra Abbati ejusque Vicario exinde potiùs damnum accresceret stipendijs Missarum sæpe Capellano obvenientibus, quæ alias Vicario vel Religiosis fuissent relictæ. Re maturè examinata cives Beneficiati domum reficere ab Episcopo jussi, & Abbas ab hoc onere absolutus fuit. Verùm quia cives illo tempore magna premebantur egestate, Episcopus permisit, ut ex dicto pio ærario, ac simul ab alijs Ecclesijs expensas pro fabrica acciperent sive mutuas, sive donatas. Hac decisione insuper habita, cùm nuper hæc ipsa Capellani domus iterum reparari, imò de novo construideret, Cives denuo urserunt Abbatem, ut saltem ad novam structuram concurreret ex parte. Quapropter, antequam res ad Ordinarium deferretur, examinanda mihi proposita est

✠

✠ † ✠

QUÆ.

QUÆSTIO.

An Abbati, vel potiùs Cœnobio B, imponi possit onus reparandi vel construendi, saltem ex parte, has ædes Primissarij ?

ANtequam rationes in utramque partem, contra & pro Abbate, adducam, præmittere juvat, quinam & quo ordine ex dispositione Juris & communi DD. sensu teneantur Ecclesiæ, & ædes Parochorum ac Beneficiorum reparare, aut collapsas reedificare. 1. igitur ante omnia attendenda est locorum consuetudo (aut statuta diœcesana) siqua probetur existere, *arg. can. quicumque 30. caus. 16. q. 7. c. ad Apostolicam 42. de Simon. ut notant ferè omnes cum Abb. Hostiens. Innoc. Riccio, Tholos. Pirhing.* 2. Seclusa consuetudine (vel statuto) ipsa Ecclesia, si habeat certos & sufficientes redditus ad fabricam determinatè destinatos, obligatur, uti plerique desumunt ex *can. 1. & 2. caus. 10. q. 3.* Ubi autem Ecclesiæ deficiunt redditus Fabricæ, 3. tangit ordo Rectores Ecclesiarum (quo nomine hic non veniunt Vicarij, etiam perpetui) si portionem fructuum, Fabricæ de-

putatorum, recipiant. *arg. can. decrevimus 10. caus. 10. q. 1. 4.* Si verò non constet, utrum Rector Ecclesiæ principalis percipiat fructus fabricæ, onus devolvitur ad eos, qui proventus quoscunque ad Ecclesiam quomodocunque pertinentes, vel fructus aliquos ex ea provenientes percipiunt, sive dein Patroni sint sive non, consequenter vel maximè ad decimatores quoad Ecclesiæ & ædes Parochiales; quia decimæ ex prædijs intra parochiam sitis ad Ecclesiam Parochialem per se pertinent. *c. 1. & 4. h. 1. can. Monachus. 22. caus. 16. q. 1. Tholos. Peckius, Pirhing, & alij, saltem id procedit post Tridentinum: quod sess. 21. c. 7. de Ref. quo Jure velut novissimo utique standum, clarissimè ita disposuit remota omni appellatione, exemptione, & contradictione, quia nimirum utique decet, ut qui percipiunt ab Ecclesia commoda & lucrum, sentiant quoque onus, &*

expensas ad reparationem aedificiorum contribuant singuli pro rata & parte cum respectu ad quantitatem fructuum, quos percipiunt: hanc verò partem, seu ratam, determinare ad Episcopum spectat, cuius iudicio standum. e. fin. de his, quae sunt à Pral. Si inter decimatores etiam sit Parochus, penes ipsum quoque erit obligatio concurrendi, si forte praeter reliquis. per c. 4. est. & ibi gloss. v. cogi debent, ut eorum exemplo ceteri invigilent etiam ad conferendum: at non obligatur Parochus de suis patrimonialibus aliquid conferre, sed solum de fructibus

beneficialibus, iisque ultra congruam sustentationem, quae ipsi semper salva esse debet & sine onere, superfluis. Gutierrez, Panor. mit. Pirhing, Zypaeus l. 3. consultat. 2. de consecr. Eccles. & alij passim. 5. denique & ultimò locò adstringuntur in aliorum defectu, & cogendi sunt Parochiani ad reparandam Ecclesiam Parochialem. Trid. lo. cit. cum ferè pro ipsorum necessitatibus & utilitate spiritali aedificentur Ecclesiae Parochiales. His pro aliqua informatione praemissis sequuntur

Rationes dubitandi.

1. Abbas Cenobii B. est Patronus huius Capellaniae vel Praemissariae: sed Patrono incumbit obligatio reparandi Ecclesias & aedes beneficiatorum in casu, ubi consuetudo, vel statutum, vel specialis conventio, vel redditus ad Fabricam destinati, quae omnia hic deficiunt, ipsum non liberant; sic enim colligitur ex Trident. loc. cit. ubi sic ordinat, & Episcopos jubet, ut Eccles. suis, etiam si iuris patronatus sint, ita res ipsas refici & instaurari procurent ex fructibus & proventus quibuscumque ad eandem Ecclesias quomodocumque pertinentibus, qui si non fuerint sufficientes, NB. Patronos, & alios, qui fructus

aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum Parochianos omnibus remediis opportunis ad praedicta cogant. de 2. Cives velut fundatores poterant sibi reservare jus Patronatus, cum ergo cesserint Abbati, id utique non sine onere aliquo, nempe reparandi aedes Capellani (nam aliud assignari nequit) fecerint; ergo ex tacito pacto per receptione juris patronatus obligatur Abbas. 3. Patrono incumbit res & bona beneficii conservare in bono statu. can. 31. 32. caus. 16. q. 1. Speciatim autem aedes, & habitationem ipsius beneficiati, sine quibus res divina & functiones be-

Rr

nc-

beneficiales decenter peragi non possunt, ita ut, si negligens sit, & alius collapsum ædificium restauret, ac de novo exstruat, ipse amittat jus patronatûs, translatum in ædificantem. Hostiensis in c. 3. de Jur. patr, n. 13. Jo. And. ibid. n. 12. Garc. Clericat. Matthæuc, Vallens. Zoes. Pirhing, Engel, König &c. 4. Patronus habet commodum ex præsentatione, quæ inter fructus ab Ecclesia provenientes reputanda est; ergo tenetur ad onus fabricæ; qui enim percipit commodum, ferat & onus. l. 10. de R. I. idque exigit æquitas naturalis. 5. Abbas & Cœnobium B. tenetur suis expensis reparare & factam restam conservare domum Cooperatoris in eadem urbecula, & quidem ex causa solius Patronatûs, non obstante, quod Cooperator non minùs, ac beneficiatus Primissarius, à civibus fundatus sit; ergo etiam obligatur ratione Patronatûs ad reparandam

domum Primissarij. 6. Communis Auctorum sensus cum Bellico acquisi. Cleric. p. 1. tit. de Cleric. debis, §. 14. n. 10. & Barbosa de offi. Paroch. c. 13. n. 8. adstringit Patronum ad sumptus fabricæ; ergo. 7. In præsentem autem accedit Patronatui simul magna convenientia & saltem antidotalis obligatio ex parte Monasterij resultans ex eo, quod cives in augmentum sustentationis Parochi vel Vicarij, quæ providere debuisse Monasterium, suppeditarint 1000. florenos. 8. inventa est aliqua scheda, à quodam hujus diocesis Vicario Generali scripta, in qua annotatum est, onus has ædes reparandi esse penes Monasterium B. quæ utique meretur attendi. Ex quibus jam Cives ab Episcopo nunc aliam sperant sententiam, quam à quodam Prædecessore lata sit, videlicet sibi faventem.

Rationes decidendi.

AT verò, si mea attendatur opinio, spes deludet hiantes, & Cœnobium B. denuo absolvendum esse censeo, non minùs ac olim. Argumentum 1. est negativum, quia non apparet sufficiens ratio, quæ probet, tantum onus olim Monasterio fuisse impositum, uti pa-

tebit ex solutione factarum objectionum, vel modò justè imponi possit, cum tota vis earum ferè in solo jure Patronatûs fundetur, utique non satis firma basi. Nec facile ullum monstrari exemplum poterit, quod Patronus, qui non simul fuit fundator, & nullos ab Ecclesia fructus per-

percipit, ratione solius patronatus ad expensas fabricæ adstrictus vel condemnatus sit. 2. est positum ex fundatione, ac simul adjecta eidem conventionione, petitem; nam cives fundarunt hanc capellaniam, & principaliter quidem in perpetuam commoditatem, & utilitatem spiritualem suam, siquidem vi hujus fundationis tenetur Primissarius quatuor quot hebdomadis Missas pro vivis & defunctis civibus applicare, & quotidie celebrando commoditatem facere plura audiendi Sacra, & in ijs audiendis vires mutandi, ut singuli successivè possint quotidie Sacro interesse. Deinde iidem cives in fundatione, ut patet ex eius Instrumento, diserte & expresse promiserunt Capellano procurare competentem sustentationem secundum Taxam Synodaliū diocesis, expresse se pœnis & censuris subjicientes, si non præstitierint. Jam sic subsumo: qui fundat beneficium, & ei dat esse, in suo esse ut conservet, si non strictè obligatorium, saltem conveniens est: qui solus sentit commoda, solus ut ferat onera, decet: qui expresse promittit sub incurfione pœnarum præbere congruam beneficiato sustentationem, se per expresse conventionem obligat ad omnia, quæ exigit congrua su-

stentatio, inter quæ vel maxime à DD. recensetur conveniens habitandi locus, & ædes; sicut sentiunt non solum antiqui, sed etiam recentiores Canonistæ, & ex his nominatim Leurenus in *Foro benefice*, p. 3. q. 71. n. 6. & Illustris, D. Zeller Præpositus Frisingensis *cons.* 20. n. 37. Addatur Moralista P. Lacroix *lib.* 4. n. 904. ergo cives tenentur & obligandi sunt ad construendas & reparandas ædes hujus Capellani, sicut tempore fundationis construere, & dum ante 100. circiter annos ruinosa erant, reparare debuerunt. 3. sumitur ex præjudicio & re judicata, quod plane solum totam rem conficeret; quippe causa hæc jam anno 1639 agitata, mature discussa, & à competente Judice, nimirum proprio utriusque Partis in lite versantis Episcopo, legitimè per sententiam Judicalem decisa fuit in favorem Monasterij B. quod penitus absolvit sententia, in rem judicatam enata, quæ tantum est virium, ut tollat omnem controversiam, & Partem condemnatam arceat à novo

Judicio.



Rr 2

Sol-

Solvuntur objectiones.

Facile nunc, quæ pæd non firmo
constant, dilijciuntur objecta.

In 1. *negatur Min.* Tridentinum
imprimis loquitur de Patrono Bene-
ficii & Ecclesiæ Parochialis, quam
vocein *Parochiales* Ecclesias &c. dif-
simulavit objiciens: sed hæc Ca-
pellania non est Beneficium vel Ec-
clesia Parochialis. Deinde Triden-
tinum obligat quidem Patronos (&
altos) qui fructus aliquos tempora-
les ex illa Ecclesia, ad quam jus præ-
sentandi habent, percipiunt, uti tex-
tus ipse, & communis sententia de-
clarat satis: sed Monasterium B. ex
Ecclesia vel Beneficio hoc, ad quod
habet jus presentandi, nullos om-
nino percipit fructus temporales.
Denique Tridentinum obligat Pa-
tronos, qui fructus percipiunt, so-
lum pro casu, quo nullus alius obli-
gatur ex consuetudine &c. sed in
presenti Cives jam aliunde sunt ob-
ligati, nempe ex fundatione eique
adjecta speciali conventionione, item
ex re judicata, atque, si Tridenti-
num, ultimo loco obligans Para-
ochianos propter spiritiualem com-
moditatem in ipsos redundantem,
attendere velimus, etiam ex eo,
quod in Cives tota utilitas spiritua-
lis (nam temporalis in neminem
redundat) ex hoc Beneficio pro-
veniat.

Ad 2. *Conc. Antec.* accedente
consensu Episcopi. N. *Consi.* ut-
ramque, & insuper primæ *suppositum*;
nam cedere jus patronatus non po-
tuerunt Cives, cum nunquam ha-
buerint, sed Cœnobium B. illud ac-
cepit immediate ab Episcopo, uti-
que in aliqualem recognitionem,
quod Monasterium facile consen-
serit in fundationem hujus Ca-
pellaniæ in sua Ecclesia erectæ,
cui imminere prævidebatur præju-
diciu[m] & damnum quoad Mis-
sas Votivas, & redditus Stolz ex
admissione novi Sacerdotis facu-
laris. Nullatenus verò credibile
est, quod Monasterio, in quod nul-
lum ex hac fundatione commo-
dum, sed potius damnum redunda-
vit, collatum sit jus patronatus
sub onere tam gravi fabricæ ædifici-
Capellani, tot successive expensas
requirente, cum nullum omnino
vestigium hujus oneris impositi vel
recepti, & nulla profus indicia tam
damnosæ conventionis, quæ con-
vincenter probati deberet, appa-
reant a longè. Nec ulla ratione
verisimili præsumi potest de illius
temporis Abbate & Conventu, quod
in se suscipere voluerint tanti grave
onus sine illo commodo temporali
propter sterile jus patronatus; imò
effi

etiam voluissent, non tamen potuissent, saltem licite, ita notabiliter gravare Monasterium: sed peccatum utique nefas est presumere.

Ad 3. Licet Patronus aliqualem debeat habere curam, ne res Ecclesie dilapidentur &c. exinde tamen non inferitur, eundem teneri de novo aliquid conferre, minus fabricae sumptus suppeditare, saltem si non simul fundator sit, nec fructus temporales ex Beneficio vel Ecclesia percipiat; alias etiam Episcopus, & Collator Beneficij, qui non minus aliquam Ecclesiae curam habere debent, ac Patronus, ad idem obligantur; quod nemo agnoscit. Ille quidem Patronus, cui patronatus competit ex fundatione aut constructione Ecclesiae, illum amittit, si collapsam restaurare permittat alium, non autem ille, qui ex alio titulo obtinuit patronatum, v. g. ex gratuita concessione Episcopi, in aliquam recognitionem praestiti consensu &c. uti Monasterium B. obtinuit.

Ad 4. Etiam Episcopus, vel alius Beneficij collator habet commodum, imò majus, quam Patronus, nam ille tribuit jus in re, & nullus alius quidquam tribuit, Patronus vero solum jus ad rem, & insuper Episcopus dat institutionem. Sicut ergo Collator Beneficij ob solum jus conferendi non tenetur ad

onera fabricae, ita nec Patronus ob solum jus praesentandi. Dein dist. Antec. Patronus habet ex praesentatione commodum, & hoc est spirituale aut spirituali annexum, nullo pretio temporali aestimabile, cui a nullo Jure annexum est onus Fabricae. C. Ant. & hoc est temporale vel pretio temporali aestimabile &c. N. Ant. & Conf.

Ad 5. transeat Antec. N. Conf. & pariatem. Cooperator in consequentiam perinet ad Ecclesiam Parochialem, pleno Jure incorporatam; ergo, sicut Monasterium & Abbas, utpote Parochus principalis, & fructus ab eadem Ecclesia provenientes percipiens, tenetur ex hoc capite ad fabricae onera in ordine ad reparandam Ecclesiam Parochialem, & consequenter etiam ad aedes Parochiales (nam aedes Parochi & Ecclesia Parochialis pari passu ambulant de Jure & consuetudine, & qui tenetur ad hanc, etiam tenetur ad illas reparandas) ita quoque obligatur ad domum Cooperatoris reparandam, vel saltem concurrere: contra Primissarius seu Capellanus iste non pertinet, nimirum per se, ad Ecclesiam Parochialem, nec ex ista Primissaria ullos percipit fructus temporales Monasterium & Abbas, idcirco respectu hujus non parem, imò nullam habet obligationem in ordine ad reparandas aedes Capellani,

Rr 3

Ad

Ad 6. N. Antea, Siquidem fortassis nullus DD. etiam ex allegatis ab adverfa Parte, Patronum præcisè ob patronatum obligat ad onus Fabricæ, qui nempe nec simul fundator fit, nec percipiat aliquos redditus temporales ab Ecclesia. Ex tali igitur capite obligant Patronum, qui obligant, non ratione Patronatûs, non solum plerique Auctores alii, uti Lambertin, de Jur. Patr. l. 3. q. 7. a. 2. n. 5. Zyprus in *Analyfi tit. de Eccles. adif. n. 12.* Pirhing *eod. tit. n. 20.* VViestner n. 45. cum cæteris, sed etiam in contrarium citati Belletus, & Barbosa in c. 4. h. t. n. 4. & 5. ubi etiam Belletum sic intelligit.

Ad 7. Nulla oritur obligatio ad certum onus ac determinatum, etiam antidotalis, siquid alius præstet in meum favorem sponte & liberaliter. Deinde quod pensio aliqua à civibus sit assignata Parocho, inde non sequitur, quòd illam assignare debuisset Monasterium ex obligatione, à qua tandem rectè se liberum credit, donec re diligenter ab Epif-

copo priùs examinata ei injunctum fuerit augere congruam; quod quia factum non est, ideo, sicut augere obligatum non fuit, ita nec obligatum est augmentum à Civibus sive ex suo sive ex alieno arario pio sponte suppeditatum compensare.

Ad 8. Ex illa Scheda curiam Vicarij Generalis nihil in præjudicium alterius probatur, partim quia non est Scriptura Authentica, partim quia scripta non auditò priùs, minus convictò Monasterio, partim quia in potestate Vicarij Generalis (imò & Episcopi) non est alicui imponere obligationem curandi Fabricam, cui eam nec Jura Communia, nec Statuta, nec Consuetudo, nec Conventio, nec Sententia imponunt.

